

VERS LATINS

SUR LE BAPTÊME

DE MONSEIGNEUR LE DUC

DE BORDEAUX.

RÉCAPITULATION DES NOMINATIONS

Obtenues par les différentes Institutions et par
 Élèves externes, à la distribution solennelle
 Collège Royal de Bourbon, le 18 août 1821.

VERS LATINS

SUR

LE BAPTÊME DE MONSEIGNEUR

LE

DUC DE BORDEAUX,

LABBÉ.	26 prix	63 acces
BINTOT	17 prix	34 acces
HIX.	16 prix	20 acces
BUTÉT.	12 prix	28 acces
MOUTON.	4 prix	17 acces
SAVARY.	4 prix	15 acces
MURON	3 prix	17 acces
VILLODON	3 prix	6 acces
VERTUT.	2 prix	14 acces
BUSOT.	2 prix	13 acces
DURAND.	2 prix.	2 acces
DELACOUR.	8 acces
LEMERCIER.	2 acces
EXTERNES.	19 prix.	63 acces

Lus par CHARLES LUCAS, élève vétérân de rhétorique, institution Labbé, à la distribution extraordinaire des prix semestriels donnés par la Ville de Paris, et récompensé par sa Majesté, à la distribution solennelle des Prix du Collège Royal de Bourbon, le 18 août 1821.

L'APPARITION DE SAINTE GÉNEVIÈVE.

Dulcia dilecti spectans cunabula nati,
 Regia dum mater gauderet imagine verâ
 Conjugis, et viduos longum satiaret amores,
 Aurea flamma micans subit atria : fulgida nube
 Cæruleâ apparet virgo, quæ littore quondam
 Sequanico pascebat oves, cæloque recepta
 Libat inexpletos vitæ immortalis honores,
 Atque parisiacas ex æthere protegit arces.
 Tempora non gemmis radiabant sancta profanis :

Lilia temporibus solum decus; hæc tibi, virgo,
 Ornamenta placent, flos gallica dedecet alter
 Tempora, virgineum flos dedecet alter honorem.
 « Regia salve, inquit, mater, jam desine fletus
 « Fundere, et æternum servare in pectore vulnus.
 « Mitte supervacuos gemitus, lux illa dolores
 « Non patitur. Festis latè dum Gallia Ludis
 « Personat, et læto cælum fremit omne tumultu,
 « Insolabiliter raptos Lugebis amores?
 « Dùm miseranda gemis, cœlestia pectora fervent
 « Lætitià, atque tui celebrant solemnia patres :
 « Dulce patrocinium sobolis, faustissima mater,
 « Quisque tuæ velit esse suum; (a) Lodoicus et ille
 « Qui non te nuper, mater benè credula, falsis
 « Lusit imaginibus gratæ inter somnia noctis;
 « Henricus que novà gaudens in prole renasci,
 « Rexque pater populi; solioque ejectus avito,
 « Sacrilegi (infandum) Lodoix jàm non memor ictus
 « Borbonidum regnante domo; tuque omnibus uno
 « Ense tuis, teneræque uxoris raptus amori,
 « Infelix conjux, nato vivente, beatus.
 « Non tu sola gemas, plaudentibus annue gallis,
 « Annue cœlicolis, cælo tua gaudia misce.
 « Nunc fletum abstergat mater quem fuderat uxor.
 « Non totus periit conjux, non tota sepulcro
 « Spes tumulata domûs, vivit, spes altera, natus.

(a) Songe annoncé par les journaux, où Madame la Duchesse de Berry avait cru voir St.-Louis lui apparaître et lui pr dire la naissance d'un fils.

Gallia quid quid habet matrum, circumpice mater:
 « Cariùs amplexæ natos dant oscula, gaudent
 « Prole tuà crescente, suam quoque crescere prolem.
 « Nunc lætare, tibi quùm splendida templa parantur,
 « Et jam sequanicos (a) amnis longinquus honores
 « Invidet et sacras gestit tibi mittere limphas;
 « Jamque aræ flammis ardent et pectora votis,
 « Thura precesque pià surgunt ad sidera nube :
 « Gens te tota vocat, divini limina templi
 « Ingrediare, deo regem oblatura futurum. »
 Tunc Genoveva oculos tenera in cunabula vertens,
 Dilectos blando perlustrat lumine vultus.
 Qualis in ore lepos, totoque in corpore forma
 Ingentis præsaça viri, et comes addita nati
 Gratia nascentis. Vultu subridet amico,
 Floriduloque novum decorans diademate regem :
 « Cresce, ait, insperate puer, solatia gentis,
 « Cresce, tuos mater (tali benè credita matri
 « Munia) læta regat primos feliciter annos.
 « Quis meliùs princeps, facilique libentiùs aure
 « Accipiet gemitum, et populi infortunia norit!
 « Jam nunc esse pater puerorum patre carentùm
 « Ipse carens, miserisque miser succurrere disces.
 « Et mox quum matura virum te fecerit ætas,
 « Majorumque tibi pervolvere facta licebit,
 « Æmula succendent generosæ pectora flammæ.
 « Cæsareà ausonius nunc gente superbiat amnis,

(a) Allusion à l'eau du Jourdain apportée par M. de Châteaubriant, dont on s'est servi pour le baptême du Duc de Bordeaux.

« Quamvis non tales ostendat sequana fastus,
 « Ipse suos heroes habet. Puer inclyte, tantum
 « Ut possis æquare Titos, imitare parentes :
 « (a) Sive illum pompâ regum qui sponte relictâ,
 « Gramineoque sedens solio, lectusque virenti
 « Arboris hospitio, nullo vigilante (satelles
 « Olli gentis amor) misero pariter pariter que potent
 « Æqua dabat rex jura viro, (b) seu nomine magnum
 « Henricum, obsessas armis dum cingeret arces,
 « Qui, prius immites hastas, ad certa ministras
 « Damna, salutiferos princeps convertit in usus,
 « Sanguineâ ut Gallis afferret cuspide vitam.
 « At si care puer, tot non ignare parentum,
 « Te rediviva movet tantæ pietatis imago;
 « Ecce ingens patrum felicibus incrementum
 « Affulget Gallis Lodoix, meruit que triumphos
 « Ingenio monstrante novos, qui jura tuendo
 « Rex solium populumque æterno fædere junxit,
 « Et sacro legum tutamine *restituit rem*.
 « Sed patris esto memor, princeps carissime, totâ
 « Indue mente patrem, pater haud mutatus ab illis
 « Regibus, ante diem sed funere mersus acerbo,
 « Non potuit tantas laudes æquare parentum.
 « Hos sequere, atque patrum felicia regna resurgent
 « Sed nati quandò te, Gallia, cura remordet,
 « Splendida venturi regis tibi fata resolvam.
 « Hoc regnante, fides toto regnabit in orbe :

(a) St.-Louis, sous l'arbre de Vincennes.

(b) Heuri IV donnant des vivres à Paris assiégé.

« Tunc fraterna meos sociabunt vincula Gallos,
 « Volvent que unanimes sub eodem sidere fluctus
 « Flumina; jam sociæ jungunt commercia limphæ :
 « (a) Quod sibi nequicquam natura negaverat olim,
 « Sequana tentat iter, ratibus freta pervia pandit,
 « Diversas que suâ terras amplectitur undâ.
 « Gentis amans et amor, virtutum et nominis hæres,
 « Hic Henricus erit : Gens gallica, pone timorem,
 « Nec toties viduata novos horresce furores,
 « Publica navis eat scopulis non territa, gentis
 « Fortunam Henricumque vehit, regiturque magistro
 « Qui dudum novit sævas arcere procellas.
 « Intereâ resonet festivo murmure littus
 « Sequanicum, lætis fervescat Gallia ludis,
 « Ite meæ quondam comites, vos ite puellæ,
 « Atque sonis miscete sonos, choreasque choreis,
 « (a) Sunt suâ virgineæ dotalia præmia laudi.
 « (b) At juvenum studiosa cohors, quæ sedula tanti
 « Præsidis auspiciis, et doctis stimulata magistris,
 « Jamdudum ingentes moliri assueverit ausus,
 « Quidquid amoris habet tibi, dilectissime princeps
 « Quidquid et ingenii, magnos intendat in usus,
 « Effundat que suos, nullo duce, libera sensus,

(a) Allusion au canal de St.-Denis, ouvert pour le baptême du duc de Bordeaux.

(b) Allusion aux jeunes filles dotées par la ville de Paris en honneur du baptême du Duc de Bordeaux.

(c) Concours des élèves des six collèges pour célébrer le baptême.

« Dux erit ingeniosus amor; nitantur alumni
 « Carmine Romani, Galli sed pectore princeps;
 « Ante tuas Latiam cunas afferre coronam. »

Dixit, et æthereas Genoveva revertitur arces;
 Conscia festivæ nituerunt sidera lucis,
 Et Lætis spondet Gallis innubilus aer
 Innumeros sine nube Dies, seclisque futuris
 Munera venturi prænuntiat aurea regni.

LES PROCHAINES

ÉLECTIONS

DE MAI

SERONT-ELLES CONSTITUTIONNELLES?

PREMIER AVIS AUX ÉLECTEURS SUR CE SUJET.

PAR UN AMI DU SYSTÈME CONSTITUTIONNEL.

Quand mes idées seraient mauvaises, si j'en fais
 naître de bonnes à d'autres, je n'aurai pas tout-
 à-fait perdu mon temps.

Rousseau, *Préface d'Émile.*

PRIX : 1 Franc.

SECONDE ÉDITION.

PARIS,

CHEZ LES MARCHANDS DE NOUVEAUTÉS.

1822.